



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 76. Sigismundus Imperator Basileam reversus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV. cui numerosa proles fuit ex foecundis
 A. C. 1433. Eleonoræ Arragoniæ conjugis suæ nup-
 tiiis suscepta. Primogenitus erat Al-
 phonfus, cui etiam omnium primo Lusitani, Eduardo Patre suo adhuc superstite
 nomen *Principis* indiderunt.

§. LXXVI.

Sigismundus Imperator Basileam versus.

Cum triginta dierum induciæ Eugenio
 Papæ ad revocandam Synodi dissolutionem datæ exspirassent, Concilii Patres solemnem sessionem celebrare distulerunt, proxime futurum Sigismundi Imperatoris, ut Sessioni interesset, reditum præstolantes; Interea tamen die Dominica, quæ erat undecima Octobris, in Ecclesia Cathedrali Congregationem indixerunt, in qua Patres Epistolas Eugenio perperam adscriptas, quas tamen vere ab eodem Papa editas esse credebant, examini subijciunt; jamjamque & sententiam in eum tanquam contumacem in proxima Sessione ferre parant; cum repente Imperatorem urbi proximum esse, atque ad Synodum properare nuntiat. Illico omnes e confessu prorumpere, adventanti Imperatori obviam procedere, atque ingenti lætitia, quam ex ejus præsentia conceperant, eundem ad Eccle-
 siam

fiam deducere. Quapropter ad diem octavam hac Congregatione dilata, rebusque debite dispositis Patres Sessionem quartam decimam celebrare statuunt.

Sæcul. XV.
A.C. 1433.

§. LXXVII.

Decima quarta Basileensis Synodi Sessio.

Tandem die septima Novembris habita est Sessio XIV., cui interfuit Cæsar Imperii insignibus illustris. In ea ad preces Sigismundi Eugenio Papæ rursus prorogabatur terminus ad nonagesimum diem, seu ad trimestre, ea tamen lege, ut intra hoc temporis spatium Concilio adhæreret, atque omnia, quæ adversus illud decrevisset, speciatim verò ternas illas literas mox memoratas revocaret; Præterea statutum, quod omnia ea, quæ in Synodo gesta fuere, confirmaret. Hoc si Papa facturus esset, pollicebantur Patres, se una omnes ejus pedibus advoluturos illum tanquam unicum, legitimumque Christi Vicarium veneraturos. Ut autem publicum, quod ab eo exegerant, instrumentum ab omni mala fide, fraude, & ambiguitate immune esset, tres omnino, ad quarum exemplum suam revocationem instrueret, obtulerunt formulas.

Lab. Conc.
tom. 12. p.

523.

H 5 §. LXXVIII.